



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...

Tractatus II. In I. Præceptum De Fide, Spe, Charitate, Religione, & Peccatis
oppositis

Sporer, Patricius

Salisburgi, 1711

Expositio Theologica. Moralis Totius Decalogi Prooemium. Quid sit, &
contineat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59952](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59952)



EXPOSITIO

THEOLOGICA - MORALIS

TO TIUS

DECALOGI

PROOEMIUM.

Quid sit, & contineat?

I.



DECALOGUS vox græca, Latine quasi decuplex verbum, vel sermo, sic dictus, quod contineat decem præcepta Divina, partim lege naturali homini indita, partim lege positiva per Moysem tradita populo Israëlitico, & deinceps toti humano generi in ipsum credituro. De hoc Deut. 4. *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis, ut essendat vobis pactum, quod præcepit, ut faceretis, & DECEM VERBA, qua descripsit in tabulis lapideis &c.* Et hinc nata est divisio, ut eorum præceptorum alia dicantur *prime*, alia *secunda tabula*.

II. Atque secundum D. August. q. 71. in *Exod.* communiter jam in Ecclesia receptam doctrinam Præcepta primæ tabulæ sunt priora tria hominem ad Deum in *Sanctitate* ordinantia, videlicet. I. *Non*
THEOL. MORAL. PARS. II. A habet

habebis &c. 2. Non assumes &c. 3. Memento &c. Præcepta verò secundæ tabulæ sunt reliqua septem ordinantia hominem ad proximū in Justitia: videlicet *Honora Patrem &c.* De excellentia & sufficientia Decalogi videri possunt SS. PP. passim. Et præsertim D. Thomas 2. 2. q. 100. a. 3. Ubi latè & optimè ostendit, omnia præcepta moralia homini ad salutem necessaria actu vel virtute contineri in Decalogo; consimiliter Scotus in 3. d. 37. q. un. a. n. 5.

III. Præcepta Decalogi etsi secundum sonum litteralem omnia ferè proponantur ut præcepta negativa seu prohibentia sub negationibus; *Non habebis Deos alienos: Non assumes: Non occides &c.* præter tertium, & quartum, quæ proponuntur ut affirmativa & præcipientia: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices: Honor a patrem &c.* Reipsa tamen affirmativa & negativa sunt, ita ut quodvis affirmativum includat negativum in eadem materia oppositum: Et similiter quodvis negativum includat affirmativum: e. g. primum Præceptum negativum: *Non habebis Deos alienos coram me,* includit hoc affirmativum; *Habebis me solum verum Deum, me solum ut Deum adorabis.* Similiter secundum negativum: *Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum,* includit hoc affirmativum; *assume nomen Domini DEI tui in reverentia & veritate.* Sic de cæteris. E contra similiter tertium præceptum affirmativum: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices,* includit hoc negativum: *ne diem Sabbathi profanè violes;* & sic de cæteris, ut suis locis semper notabitur.

IV. Præ-

IV. Præceptorum affirmativorum seu præcipientium ea natura & conditio est, quod obligent quidem semper, quia nunquam obligare cessabunt, sed non pro semper sive omni temporis differentiâ. Ratio clara est; Quia ea præcepta præcipiunt agere bonum; non autem quodvis bonum quovis tempore exequi necesse, imò ne possibile est, sed solum statuto vel præcepto tempore, vel data occasione, non etenim omni tempore Deus colendus, sed statuto tempore: Non semper, sed data occasione, parentes honorandi &c. Præcepta verò negativa obligant & ad semper, seu in perpetuum, & pro semper, seu pro omni temporis differentia, quia nimirum ea præcepta prohibent agere malum; nullo autem tempore unquam licet, & omni tempore possumus non agere vel committere malum. Porrò peccata contra præcepta affirmativa dicuntur peccata omissionis. Contra præcepta verò negativa dicuntur peccata commissionis, ut suo loco explicatum.

His ita generatim prænotatis in nomine Unius & Trini DEI Supremi Legislatoris aggredimur expositionem Decalogi.

